Petrus <Lombardus>; Henricus <de Gorichem> [Comm.]: Sententiarum libri IV (cum conclusionibus Henrici de Gorichem et problematibus S. Thomae articulisque Parisiensibus)

[Freiburg i. Br.: Kilian Fischer], [ca. 1492] Seite 163



accipi qđ ſpacia aeris excedit· Aquas autez
que ſuꝑ illud celū ſunt dicit vaporabilit̄ tra-
hi: ꝛ leuiſſimis ſuſpēdi guttis· Sicut aer iſte
nubiloſus exalatione terre aquas vapora-
biliter trahit: ꝛ ꝑ ſubtiles minutias ſuſpēdit
ꝛ poſt corpulentiꝰ cōglobatas pluuialiter re
fundit· Si ḡ poteſt aqua ſicut videmꝰ ad tan
tas minutias ꝑuenire vt ferat̄ vaporalit̄ ſu-
per aerē aquis naturaliter leuiorē· Cur non
credamꝰ etiā ſuꝑ illud leuiꝰ celū minutioribꝰ
guttis ꝛ leuioribꝰ immanare vaporibus· ſed
quoq̄ modo ibi ſint: ibi eſſe nō dubitamus·

Que ſit figura firmamenti· c

## Queri etiā ſolet cu-

ius figure ſit celū? Sed ſpūſſanctꝰ q̄uis au-
tores noſtri ſciuerint ꝑ eos dicere noluit· ni-
ſi qđ ꝓſit ſaluti· Querit̄ etiā ſi ſtet an mouea
tur celū? Si moueat̄ inquiunt quō eſt firma
mentum? Si ſtat: quomodo in eo fixa ſidera
circumeūt? Sed firmamentū dici poteſt: nō
ꝓpter ſtationē· ſ ꝓpter firmitatē vel termi-
num aquaꝝ intranſgreſſibilē· Si aūt ſtat· ni
hil impedit moueri ꝛ circūire ſidera·

Vtrū ſtet an moueat̄ celū.

Quare dicat̄ firmamentū.

¶ Quare tacuit ſcriptura đ oꝑe ſecūde diei
quod in alijs dixit· d

## Poſt hoc queri ſo-

let quare hic non eſt dictū ſicut in alioꝝ dieꝝ
operibꝰ· vidit deus ꝙ eſſet bonū? Sacramē-
tum aliqđ hic cōmendat̄· Ideo eñ fortaſſis
non eſt hic dictū· qđ tamē ſicut in alijs factuz
eſt· quia binarius ꝑ̄ncipiū alteritatis eſt ꝛ ſi-
gnum diuiſionis· e

¶ De oꝑe tertie diei quando aque congre-
gate ſunt in vnum locum·

## Sequit̄. Dixit deꝰ

Congregent̄ aque in locū vnum ꝛ appareat
arida· Tertie diei opꝰ eſt cōgregatio aqua-
rum in vnū locum· Cōgregate ſunt eñ oēs
aque celo inferiores in vnā matricē· vt lux q̄
ꝑ̄terito biduo aquas clara luce luſtrauerat:
in puro aere clarior fulgeat ꝛ appareat terra
que cooperta latebat· ꝛ que aq̄s limoſa erat
fieret arida ꝛ germinibus apta· Eodem eñ
die ꝓtulit terra herbā virentē lignumq̄ʒ faci
ens fructū· Si aūt querat̄ vbi ꝯgregate ſint
aque que totū texerant ſpa ciū vſq̄ʒ ad celū?
Potuit fieri vt terra ſubſidens cōcauas par
tes ꝑ̄beret vbi fluctuantes aquas reciperet

Beda

Vbi ꝯgregate ſunt aque.

Poteſt etiaʒ credi ꝑ̄marias aquas rariores
fuiſſe que ſicut nebulā tegerēt terras: ſ con-
gregatione eſſe ſpiſſatas· ꝛ ideo facile i vnū
poſſe redigi locū· Cūq̄ʒ multa ꝯſtet eē maria
ꝛ flumina: in vnū tamē locū dicit aquas con
gregatas ꝓpter cōtinuationē omniū aqua-
rum que in terris ſunt· que cuncta flumia ꝛ
maria magno mari iungunt̄· Ideoq̄ʒ cū di-
xerit aquas cōgregatas in vnū locū· deinde
dicit pluraliter· cōgregatiōes aquaꝝ ꝓpter
multifidos: ſinus eaꝝ quibus omnibꝰ ex ma
gno mari ꝑ̄ncipium eſt·

Quō oēs aq̄ ſint in vnū locū cōgregate cū multa ſint maria ꝛ flumina.

¶ De opere quarte diei quando facta ſunt
luminaria· f

## Sequit̄. Dixit deꝰ

Fiant luminaria in firmamanto celi· et diui-
dant diē ac noctē· In ꝑ̄cedenti triduo diſpo-
ſita eſt vniuerſitatis huiꝰ mūdi machina ꝛ ꝑ-
tibus ſuis diſtributa· Formata eñ luce ꝑ̄ma
die que vniuerſa illuſtraret· duo ſequētes di
es attributi ſunt ſuꝑ̄me ꝛ infime parti mūdi
firmamēto· ſ· aeri· terre· ꝛ aque· Nā ſecunda
die firmamentū deſuꝑ expāſum eſt· Tertia
vero aquaꝝ molibus inter receptacula ſua
collectis terra eſt reuelata atq̄ʒ aer ſerenatꝰ
Quattuor ḡ mundi elementa illis diebꝰ ſuis
locis diſtincta ſunt ꝛ ordinata· Tribus autē
ſequētibus diebus ornata ſunt illa quattuor
elementa· Quarta eñ die ornatū eſt firma-
mentū ſole ꝛ luna ꝛ ſtellis· Quinta aer i vo
latilibus ꝛ aque in piſcibus ornamenta acce
perunt· Sexta accepit terra iumēta ꝛ repti-
lia ꝛ beſtias· Poſt que omnia factꝰ eſt homo
de terra ꝛ in terra: non tamē ad terrā· nec ꝓ
pter terrā· ſ ad celū ꝛ ꝓpter celum·

Qr triduo ꝑ̄cedenti facta eſt diſpoſitio ꝛ diſtinctio q̄tuor elemētorum ꝛ triduo ſequēti ornatus eſt mūdꝰ

¶ Ante alia đ ornatu celi agitur ſicut prius
factum eſt· g

## Quia ergo celū ce-

teris elementis ſpecieʒ preſtat· priuſq̄ʒ alijs
factum eſt· ideo ante alia ornatur in quarto
die quo fiunt ſidera· Que ideo facta ſunt vt
per ea illuſtret̄ inferior pars ne eſſet habitā
tibus tenebroſa· Infirmitatiq̄ʒ hominum ꝓ
uiſum eſt vt circūeunte ſole potirent̄ homi-
nes diei noctiſq̄ʒ viciſſitudine propter dor-
miendi vigilandiq̄ʒ neceſſitatē· ꝛ iō ne nox
indecora remaneret: ſed luna ac ſideribꝰ cō
ſolarent̄ homines quibꝰ in nocte oꝑandi ne-
ceſſitas incumberet· Et quia quedā anima-
lia ſunt que lucem ferre nō poſſunt· Quod

Qua vtilitate facta ſūt ei luminaria



TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-333/0163
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG